physice imprimi parti præteritæ nec futuræ, quia hæ non sunt physice; poterit ergo solum præsenti instanti, si cuiquam potest; at vero si huic imprimatur, non poterit ille efficere vt pars sequens citius vel tardius adueniat; quia, vt supra dicebam, post quodlibet instans interrumpi motus potest; at post hoc instans non posset si in eo est aliquid modale exigens vt cunque; id est, siue cito siue tarde sequelam alicuius partis vlterioris. PROP. 3.

PROPOSITIO III.

Quid physice entitatis sit tempus reale, ex præcedentibus explicare.

AD integram realis temporis constitutionem (ex dictis prop. 1) tria præcipue requiruntur attributa: primum *a* est extensio successiua; secundum continuitas; tertium est, esse mensuram actiuam durationum corruptibilium. Itaque tempus reale in concreto sumptum, erit *ens reale* (quodcunque illud sit) *successiue extensum, continuum, mensurans*, &c. Equidem prop. præcedenti iam ostendi huiusmodi ens reale quod nimirum sit physice successiuum, & simul physice continuum, esse impossibile; tamen quia tempus non est res ficta, adeoque est aliquid reale in natura rerum; paulo altius inquirendum est quid sit illud reale ac physicum quod est tempus, & quomodo illi physice conueniant tria illa iam dicta temporis attributa: solum autem dicam de eo tempore reali quod in motu consistit iuxta definitionem de qua prop. 1 *Numerus motus secundum prius & posterius est tempus*; nam hinc statim intelligetur quid cum proportione dicendum sit de eo tempore etiam reali quod num. 4 eiusdem prop. dixi posse esse sine motu. 1

a *Attributa temporis extensio, successio, cõtinuitas. ratio mensuræ.*

Itaque ex vi dictæ definitionis *b* entitas temporis physice loquendo non est alia, quam quæ est motûs, præsertim cum iam ex natura sua & per se conueniant motui extensio successiua, & continuitas; eidem autem saltem per accidens conueniat id quod est esse numeratum secundum prius & posterius, siue id quod est esse mensuram. Quia vero vt ex prop. 12 c.10 intelligitur, entitas motus cum sua sibi intrinseca successione & continuitate, est physice loquendo ipsamet entitas mobilis provt existentis in aliis atque aliis spatij partibus, prius in illis & posterius in istis absque saltu & sine quiete; consequens est vt hæc ipsa etiam sit physice loquendo entitas temporis realis sicut & successio & continuitas. Ergo *c* tempus reale (secundum quod continuum est & successiuum) in concreto sumptum non est aliud physice loquendo quam mobile provt in aliis atque aliis locis; vel clarius, non est aliud quam plura in vno spatio loca provt alia post alia ab eodem mobili sine saltu & sine quiete occupata. Et idem tempus *d* reale in abstracto sumptum seu formalis ratio temporis, physice etiam loquendo, non est aliud quam intelligibilitas mobilis dicto modo occupantis ea loca; aut vicissim intelligibilitas locorum vt à mobili dicto modo occupatorum cum ordine prioris, &c. 2

b *Entitas temporis est ipsa entitas motus.*

c *Quid rei sit tempus in concreto?*

d *Quid in abstracto?*

Quod vt clarius *e* intelligas, agnosce attributum extensionis successiuæ in iis particulis *alia post alia*; & attributum continuatis in istis, *sine saltu & sine quiete*. At vero attributum mensuræ agnosces in iisdem particulis *alia post alia occupantis* &c. est enim præter iam dictam vlterior quædam intelligibilitas mobilis provt prius vnum & posterius alium locum occupantis; quæ in hoc consistit; quod nimirum si cognoscatur quantum assignata vna (vt sic dicam) occupatio sit post aliam pariter assignatam, quantitas illa, siue illa distantia secundum prius & posterius, (in qua ex annotatis prop. 1 consistit totius interiecti temporis extensio) potest comparari cum alia simili secundum prius & posterius extensione sed incognita, cognoscenda tamen per ipsam vi comparationis. In hoc autem quod est comparari, & comparatione parere notitiam, consistit ratio mensuræ. 3

e *Et in eo conceptu recognoscitur temporis attributa.*

Ratio vero mensuræ (quæ præter successionem & continuitatem motui aduenientes, vltimo constituit tempus) non est aliud physice loquendo quam denominatio extrinseca petita ab intellectu comparante cognitam sibi vnius motus quantitatem cum alterius ignota, & hanc per illam cognoscente: est autem euidens, vt puto, ex dictis prop 1 num. 8, nihil aliud physicum importari ab eo quod est *esse mensuram*. Ergo tempus complete sumptum, sed *f* in concreto non est aliud physicum ens quam motus provt dinumeratus seu distincte ac per partes cognitus, & cum alio motu vel duratione comparatus; atque ita assumptus loco mensuræ ad cognoscendum quantus sit ille alius motus vel duratio: aut (quod ex dictis num. 2 in idem recidit) non est aliud quam mobile in primis consideratum provt sine saltu & quiete prius in vno loco est & posterius in alio; ac deinde distincte cognitum secundum quantitatem qua (iuxta dicta num. 3) posterius est in vno, quam fuerit in alio; ac demum secundùm hoc ipsum comparatum cum alio secundum similem quantitatem ignoto; sed per ipsum, vi ita factæ comparationis, cognoscendo. In abstracto *g* autem idem tempus complete sumptum consequenter, non est aliud quam intelligibilitas mobilis vt dictum est consideratí, cogniti, comparati; cum enim mobile reuera ita se habeat, vt dictum est, in

f *Concluditur quid sit tempus in concreto & complete sumptum.*

g *Itẽ quid in abstracto & complete*